© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

Das Tagebuch Bischof Ulrichs II. Putsch.

(Fol. 1.) Acta per reverendissimum dominum Udalricum episcopum Brixinensem ac fundatorem capelle trium regum propria manu conscripta de anno ad annum ut sequitur [a]).

1427.

(Fol. 3.) Anno etc. XXVII [b]).

Item eodem anno quo supra feria tercia post omnium sanctorum (Nov. 4) ego Ulricus rector parrochialis ecclesie in Tyroli fui per viam arbitrii unanimi voce a capitulo electus in episcopum, quod tamen valde difficulter fiebat quia habui multos emulos, sed intercessio domini Friderici ducis Austrie et adhesio precum omnium vasallorum cum civium supplicacione michi profuerunt [1]).

1428.

Anno XXVIII [c]).

Anno domini MCCCCXXVIII decima nona die mensis ianuarii fui confirmatus a sede apostolica eciam cum maxima diffi-

---

[a]) Dieser Absatz ist von einer späteren, aber noch dem 15. Jahrhundert angehörigen Hand geschrieben. [b]) Später mit anderer Tinte nachgetragen. Es folgt dann der durch Ueberstreichen mit Tinte getilgte Absatz: In anno domini millesimo quadringentesimo vigesimo septimo feria 6. ante exaltationem sancte crucis — September 12 — obiit dominus Berchtholdus episcopus Brixinensis, qui in agone dispersit bona ecclesie inutiliter et dimisit ecclesiam in magnis debitis, quia dedit hiis quibus nichil debebat, debitoribus autem nichil persolvit. Dieser Absatz ist fol. 2[1] von einer etwas späteren Hand wiedergegeben, nur ist feria — crucis ausgelassen — statt autem ist vero gesetzt, dabei steht ut supra deletum est mit einem Verweisungszeichen. Ob die Stelle von Ulrich getilgt wurde, ist zweifelhaft. Ueber den Inhalt siehe die Einleitung. [c]) Später mit anderer Tinte nachgetragen.

[1]) Siehe Einleitung S. 242 ff.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

cultate quia emuli mei inferebant michi magna impedimenta et cum nullam causam plus possent invenire, fecerunt coram domino Martino papa quinto proponere, qualiter essem defectuosus et haberem morbum caducum quod erat falsum[1]).

Item eodem anno feria secunda post purificacionis Marie (Febr. 9) intravi castrum Brixinense cum solempni comitiva vasallorum et aliorum et tamen literas adhuc non habui a sede impetratas et domum predictum inveni (fol. 3[1]) omnino vacuam excepto vino et frumento sed de pecuniis et clenodiis nichil penitus inveni.

Item dummodo facerem racionem cum officialibus non nisi magna debita inveni, que oportebat me defalcari in racionibus officialiorum[a]) in summa M ducatorum et ultra[b]).

Item expendi in curia Romana plusquam[c]) duo milia[d]) ducatorum de quibus non nisi III^{C} persolvi camere apostolice residuum vero transivit pro expensis, propinis etc.[2]). Ac tamen deo dante[e]) ecclesie de bonis suis usque huc nichil obligavi sed de propriis recepi. Eciam de masseriis et lectis et eorum attinenciis[f]) adduxi in magna quantitate septem vel octo currus bene gargatos. Habui eciam pulchra et preciosa clinodia[g]) et iocalia in ciphis aureis et argenteis, cuppis, daciis, unum ovum strucionis bene fulcitum et alia quam plura non solum ad mensam ymo eciam ad altare cum una tabula cum effigiis argenteis tribus, una tabulla de berillis satis preciosa, una corporalium cista de berillis, uno osculo pacis de puro auro intercluso ligno sancte crucis, una parva tabula de auro finissimo in qua in capite inclusa est una spina de corona domini et de lacte beate virginis, in medio tabule de sancto Johanne Baptista et in pede quamplures sancti. Eciam apportavi unum magnum graduale cum pulchra illuminatura, duo missalia, [appor]tavi tres magnos tapetos quod dicitur teppich . . . numero quasi octo[h]), unam (fol. 4) bibliam pre-

---

[a]) Codex. [b]) in summa—ultra nachgetragen. [c]) Folgt ein gestrichenes XXIIII^{or}; duo ist am Rande nachgetragen. [d]) Cod. [e]) Folgt ein gestrichenes ecclesie. [f]) Et lectis—attinenciis über der Zeile nachgetragen. [g]) Cod. [h]) [appor]tavi—octo am unteren Rande mit anderer Tinte nachgetragen und durch Verweisungszeichen hieher bezogen, durch Abreissen der Ecke verstümmelt.

[1]) Von solchen Anschuldigungen ist sonst nirgends die Rede. Siehe auch die Einleitung. [2]) 1429 Juni 13 datiert eine Quittung über 300 Goldgulden, ausgestellt von Antonius, Kämmerer und Cardinal von Aquileja. Innsbr. St.-A. Brixner Urkunden Nr. 298.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

ciosissimam cui non est visa similis, librum decreti et alios libros numero quasi centum. Ac tamen in domo non plures libros reperi nisi unum misale bonum, duos omnino desolatos quos feci ligare et unum de rubrica Frisingensi, duo pontificalia non ligata sed omnino ruinosa que ordinavi reficere [a]). Eciam portavi mecum [b]) unum missale, unum speciale et unum canonem cum oracionibus ante et post missam; item unam infulam preciosissimam feci fieri [c]).

Item [1]) episcopus Tridentinus usurpavit sibi ius monasterii in Sunemburga et constituit ibi unum presbyterum Bohemum nomine Johannes [2]) in procuratorem quem antecessor noster non audebebat [d]) refutare et misit aliquos plures ibidem volens post mortem prioris abbatisse [3]) unam abbatissam constituere ad sui libitum. Eciam ipse citavit ad Tridentum homines de Marubio, de Abbatia et de Wengen [4]) ad reddendum ius coram eo super questionibus quas habebant inter se. Et sic conabatur me et ecclesiam meam spoliare de suo iure quod usque huc semper habuit. Senciens ego hoc expulsi suos de monasterio et feci eos insalutato hospite ire Tridentum. Et idem presbyter Johannes absportavit secum omnes fructus perceptos nolens facere racionem et dimisit monasterium vacuum et in magnis debitis. Eodem vero anno post festum pasche (Apr. 4) constituit nobis ex utraque parte dominus Fridericus dux Austrie [e]) (fol. 4 [1]) diem placitorum ad Bolzanum et misit dominum Chůnradum de Kreyg magistrum curie sue ad audiendum nos. Interim ipse dominus Tridentinus misit aliquos de suis, qui furtive absque scitu meo et monialium abduxerunt unam monialem nomine Barbara Resnerin, que in dissimulatu habitu venit usque in Lengenmos [5]). Cum autem hoc ad [f]) aures meas pervenisset volui eam cum potencia recepisse et reduxisse quod eo tem-

---

[a]) Folgt durchstrichen: Etiam conduxi mecum unum magnum bene illuminatum graduale, was schon fol. 3 [1] erwähnt ist. [b]) Eciam —mecum mit anderer Tinte nachgetragen. [c]) Infulam—fieri mit der Tinte der Anmerkung b in den übrigen leeren Raum der Zeile nachgetragen. [d]) Cod. [e]) Am unteren Rande der Seite stehen in der Ecke drei Zeilen mit Notizen, welche, ausgestrichen, sehr verblasst und abgerieben, nicht mehr lesbar sind. Nur von der ersten Zeile ist zu entziffern: Item verkauft XIII. [f]) ad über der Zeile nachgetragen.

[1]) Ueber diesen Streit s. Einleitung S. 244 ff. [2]) Johann von Komotau. [3]) Ursula Rizin. [4]) Enneberg, Abtei und Wengen. [5]) Lengmoos auf dem Ritten n. ö. Bozen.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

pore bene potui, quia habui maiorem assistenciam non solum vasallorum meorum sed eciam nobilium de provincia, qui omnes cucurrerunt ad me dicentes: Ecce domine, assumus volentes vobiscum mori. Et nisi dictus Kreyer[a]) non fuisset, facta fuisset magna sedicio. Et ille promisit michi fide data velle eam remittere ad suum claustrum, quod tamen non fecit, sed per astucias pracuravi quod fuit reducta post medium annum. Et ibi mansit aliquam diu incarcerata sed male custodita. Postea iterum episcopus Tridentinus misit suos qui eam de carceribus[b]) receperunt de nocte et furtive et eam Tridentum duxerunt ubi eam adhuc tenet[c]) volens eam facere abbatissam in Sunemburgo, quia expensis suis impetravit abbaciam pro ea. Sed ego arrestari feci literas in bullaria Rome et causa pendet in curia. Ac tamen una monialium (fol. 5) nomine Ursula Vorsterin canonice fuit electa, quam ego auctoritate ordinaria confirmavi, consecravi et solempniter institui.

Eodem anno statim post placita predicta ivi Venecias ad consecracionem recipiendam et per episcopum Torcellanum[d]) in ecclesia sancti Georii[e]) maioris fui consecratus [1]) absque omni munere et pure propter deum.

Reversus vero fui cum[f]) salute et Pruneggam[g]) intravi in vigilia ascensionis (Mai 12) et ipsa die cantavi vesperas sub infula et de mane officium misse.

Postea ivi Brixinam et in vigilia pentecostes[h]) (Mai 22) cantavi vesperas et de mane officium sub infula.

Item[i]) in octava pentecoñ[k]) (Mai 30) [2]) celebravi ordines in Brixina et post octo dies (Juni 6) consecravi ecclesiam in Merra [3]); iterum post octo dies (Juni 13) consecravi abbatem Wiltinensem [4]); iterum post octo dies (Juni 20) consecravi abbatissam in Sunemburgo [5]) et post octo dies (Juni 27)

---

[a]) Cod. der Name lautet Kreig. [b]) Folgt ausgestrichen unde. [c]) Corr. aus tenent. [d]) . . . . orcellañ auf Rasur. [e]) Cod. [f]) c scheint corr. aus s. [g]) Verbessert statt des gestrichenen Brixinam. [h]) Gebessert aus pasche. [i]) Wechsel der Tinte. [k]) pentecoñ Cod.

[1]) Warum die Weihe in Venedig stattfand und nicht durch den Salzburger Erzbischof, ist unbekannt. Sinnacher VI. 105. [2]) Hier ist wol dieser Tag, der Dreifaltigkeitssonntag, gemeint. [3]) In der Mahr, s. Brixen, die St. Jakobs-Kapelle. S. Tinkhauser-Rapp, Beschreibung der Diöcese Brixen, I. 240. [4]) Johann II., den Nachfolger von Ulrichs Bruder Heinrich. Siehe Einleitung S. 231 u. 232 Anm. 4. [5]) Die Ursula Forstnerin.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

consecravi ecclesiam in Elfs [1]) et post XIIII[a]) dies (Juli 11) consecravi ecclesiam in Altenresen[2]) in honore sancti Andree apostoli.

Item in angaria post exaltacionem sancte crucis (Sept. 15) iterum celebravi ordines; eodem die et omnibus diebus festinis tocius anni celebravi sub infula.

(Fol. 5[1]). Anno[b]) XXVIII quo supra contingit, quod comes Hainricus de Goricia fecit piscatoribus meis in Prauneka recipere[c]) recia eorum videlicet tawpel[d]). Dummodo hoc experirem statim misi famulos meos et precepi eis, quod ubicunque invenirent piscatores comitis statim eis amputarent pedes et manus. Illo experto comes illico reddit recia et recongnovit[e]) qualiter michi et unoquoque episcopo Brixinensi competeret ius piscandi et amplius non vellet me impedire quod et usque huc fecit et spero quod amplius faciet.

Eodem anno circa festum Margarete (Juli 12) contuli feoda in Puchenstain, sed feoda ecclesie fuerunt prius statim post consecracionem proclamata.

Eodem anno iterum celebravi placita coram domino duci[f]) Fr(iderico) in Insprukga cum magnis expensis sed episcopus Tridentinus non comparuit [3]).

Item[g]) hoc anno feci fieri organum, quod est in capella beate Marie virginis in castro Brixinensi.

Item hoc anno feci fieri piscinam prope Aufhoven[4]) in plano sed terra fuit porosa et rupta est. Spero tamen reparare et nunc omnino est dictum vivarium recuperatum quod melius est quam umquam fuit[h]).

1429.

(Fol. 7). Anno domini millesimo CCCCXXIX.

Eodem anno feci fieri cornu organicum super turrim.

---

[a]) Die ersten II scheinen corr. aus V. [b]) Wechsel der Tinte. [c]) Folgt ein gestrichenes recipere. [d]) w corr. aus ? [e]) Cod. [f]) Cod. [g]) Wechsel von Tinte und Zug. [h]) Et nunc — umquam fuit später mit anderer Tinte nachgetragen.

[1]) Elves n. Brixen; zu Ehren des h. Petrus und Paulus; Tinkhauser-Rapp I. 265. [2]) Altenrasen ö. Bruneck, Tinkhauser-Rapp I. 382, wo aber Juli 3 angegeben ist, obwol er sich auch nur auf das Tagebuch beruft. [3]) Dieser Rechtstag muss im Dezember stattgefunden haben, denn Herzog Friedrich ist das ganze Jahr nicht in Tirol, ausser im Dezember. S. Lichnowsky, Geschichte des Hauses Habsburg, die Regesten dieses Jahres. [4]) n. Bruneck.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

Eodem anno feci fieri fontem in curia videlicet lapideum.

Eodem anno construxi domum in castro extra portam interiorem quod prius dicebatur heugadem unacum stuba et camera portarii et superiori stuba[a]).

Eodem anno habui solempne carnisbrevium[b]) (Febr. 8) cum vasallis ecclesie utriusque sexus.

Eodem anno circa medium quadragesime (März 6, Sonntag Laetare) [1]) iterum celebravi placita coram domino Fr(iderico) duce[c]) Austrie in Insprukga et habui mecum solempnem comitivam vasallorum ecclesie una cum melioribus civibus ac eciam terrigenarum, qui michi assistebant contra episcopum Tridentinum et ambo fecimus arbitrium[2]) in dictum dominum ducem de et super questionibus prout supra in precedenti anno continetur.

Eodem anno in die palmarum (März 20) celebravi ac in feria 6. maioris hebdomade in choro et in sabato sancte pasche consecravi ignem, fontem, celebravi eciam missam unacum ordinibus presbyterorum etc.

Eodem anno in hebdomada paschali (März 27 bis April 3) fuit dententus magnus assisinus et latro in Prunekga nomine Peter Zimmerman, iudices vero comitum de Goricia fecerunt michi magnas minas et postularunt eum; quibus eum nolui presentare et sic misi in armis equites quasi centum et mille pedites et eis in despectum feria secunda post quasimodogeniti (April 4, fol. 71[1]) fuit positus super rotam.

Eodem anno feci sculpere lapidem sepulchri mei.

Eodem[d]) anno feci pavimentare id est pflastern curiam castri Brixinensis interius et exterius.

Similiter civitatem Brirenam[e]) feci pavimentare eodem anno.

Eodem anno feci fieri vivarium magnum hinter dem Warperg [3]).

Eodem[f]) anno edificavi domum extra civitatem Brixine, que dicitur zolhaus que in guerra ducum omnino fuit combusta et postea totaliter desolata et in muris ruinosa.

---

[a]) unacum—superiori stuba nachgetragen. [b]) Cod. [c]) e corr. aus i. [d]) Folgt Wechsel von Tinte und Zug. [e]) Folgt durchstrichen et eciam. [f]) Wechsel von Tinte und Zug.

[1]) Ein Lehensbrief Ulrichs auf Lechler in Kastelrut vom Februar 27 ist noch in Brixen ausgestellt, siner vom März 9 auf Niklas Moser in Kastelrut in Innsbruck. [2]) Die Compromisse datieren vom März 16. S. Einleitung S. 254. [3]) Worberg bei Bruneck.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

Eodem anno [1]) iterum celebravi placita cum domino Tridentino coram domino duce per consiliarios meos, quia incidi maximam infirmitatem quod per me non potui ire et inveni graciam coram [a]) oculis domini ducis.

Eodem [b]) anno feci [c]) pavimentare Clusam sub Sabiona, que prius fuit fetida et tam stricta in viis quod currus currui nullo modo poterat cedere [2]).

(Fol. 8). Hic [d]) sequitur tractatus inter me et canonicos, qualiter me unacum aliquibus scabinis coadiutoribus eorum captivarunt et ad illicitas literas absque causa racionabili cogerunt et non nisi vera veritas assignatur [3]).

Et notandum quod eodem anno XVIII[d]) die mensis octobris venit totum capitulum ad castrum volens [e]) a me petere consilium super quadam materia quam habebant pre manibus et sic consului eis fideliter quod bene contentabantur. Post hoc dixi eis: »Fratres mei, percepi qualiter contra me habeatis aliqualem rancorem. Si ita est dicatis michi et ego semper paratus sum me vobiscum amicabiliter componere«. Sic ipsi multum gavisi reddiderunt michi magnas grates dicentes: »Vos loquimini graciose et necessarium esset nobis habere interlocutoriam«. Tunc ego dixi: »Constituite michi terminum et ego venio ad vos et faciam omnia, que cum racione merito teneor [f]) facere«. Et sic amicabiliter separabamus nos quod nos et ipsi [g]) bene fuimus contenti [h]).

---

[a]) Folgt gestrichen oli. [b]) Wechsel von Tinte und Zug. [c]) Folgt durchstrichen et. [d]) Wechsel von Tinte und Zug. [e]) Folgt durchstrichen habere. [f]) Das zweite e über der Zeile nachgetragen. [g]) Das zweite i scheint corr. aus e. [h]) Es folgt nun ein durch Ausstreichen und theilweises Ueberstreichen mit Tinte getilgter Absatz: Interea summus prepositus, Oswaldus de Wolkhenstain et magister Hainricus Seldenhorn iverunt ad Insprukam et exposuerunt domino Friderico duci Austrie multa et magna mendacia contra me et personam meam et in tantum conquesti sunt, quod fallaciis et decepcionibus dominum ducem informarunt ita, quod consensit eis ut me caperent vel ad illicitas literas coartarent. Sed habita parva potestate plus fecerunt quam eis foret concessum non adtendentes quod propositus iuravit michi tamquam episcopo suo et Oswaldus fuit vasallus habens bona feoda et magister Hainricus qui habuit castrum Salerni (Schloss Salern

[1]) Wann, kann nicht bestimmt werden. [2]) In diesem Jahre Juli 24 ertheilte Ulrich der Bürgerschaft zu Klausen auch das Recht, jährlich zweimal einen freien Markt abzuhalten. Statth.-Arch. in Innsbruck, Brixner Arch., Lade 81, Nr. 5, lit. C und Archivberichte aus Tirol von Ottenthal und Redlich I, 76. [3]) Ueber diesen Streit s. die Einleitung. S. 259 ff.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

(Fol. 8[1]). Et notandum est quod[a]) canonici in feria 6. ante festum omnium sanctorum (Okt. 28) miserunt pro me et pecierunt ut venirem ad capitulum, quod habuerunt in hospitali. Ibi dum venissem presentaverunt michi unam cartam, in qua scripti erant aliqui articuli quos debebam fecisse et pecierunt illos emendare. Super quibus perlectis respondi: „Fratres dilecti, cedula ista est diffamatoria et non honoraret vos nec me et si velletis michi inpingere talia, non esset honestum coram laicis. Vos eciam estis de similibus et maioribus culpabiles et si nos deberemus mutuo sic unus alterum accusare ex hoc possent multa mala evenire. Facite unum[b]) et scribatis mentem vestram ad unam cedulam non famosam vel suspectam. Quicquid ego tunc cum deo et honore possum et debeo facere vel dimittere, hoc faciam.“ Sic omnes unanimiter dixerunt michi magnas grates et promiserunt facere aliam cedulam. Interim autem cum non nisi bonam spem de ipsis haberem, ipsi miserant ad curiam domini ducis Andream Kobrill prepositum, Oswaldum de Wolkenstain et magistrum Hainricum Seldenhorn, qui accusabant me de multis criminibus taliter quod dux consensit, ut deberent me capere et pape vel archiepiscopo Salczburgensi presentare; super quo eciam dedit eis sufficientes literas. Et sic isti tres associaverunt sibi scabinos numero XXXII et venerunt dominica ante omnium sanctorum (Okt. 30) in Sterczingen et ibi practicaverunt rem qualiter me traderent ad manus peccatorum. Illa vero die misi Kasparum de Gufedono et Hainricum Můller ad predictos scabinos quia avisatus fui ad excusandum me et exhibui ad comparendum iusticie coram papa, coram rege, coram domino Salczburgensi vel coram secreto iudicio. Sed ipsi omnino (fol. 9) negabant dicentes, quod libenter audivissent meam excusacionem et pecierunt quod eis promitterent pro me, quod haberent meum salvum conductum; tunc ipsi vellent mittere aliquos de ipsis, qui eos

---

bei Vahrn) cum omnibus attinenciis et C ducatos de Liserhoven (nördl. Spital in Oberkärnten) ad tempus vite sue et quod ipse fuit iudex iudicii curie et per me in meis negociis et expensis fuit missus ad ducem. Ob die Tilgung durch Ulrich erfolgt, ist zweifelhaft, aber immerhin möglich. Es wiederholt sich diese Stelle etwas später, wenn auch nicht so ausführlich, und kann von ihm getilgt worden sein, weil er sah, dass er sich in der Reihenfolge der Ereignisse geirrt habe. [a]) Folgt gestrichen omnibus illis sic stantibus. [b]) Wechsel von Tinte und Zug.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

erga me expurgarent quod sic fieabat[a]). Et ipsi nunccii mei scripserunt michi, quando ipsi venirent, tunc deberem eos graciose suscipere et eos bene tractare. Omnibus[b]) sic stantibus cum nullam penitus curam vel timorem haberem et presertim canonicos non timni quia preterita ebdomada cum singulis eorum comedi[c]) et ipsi mecum comederunt, in vigilia omnium sanctorum, que fuit in die lune ultima mensis octobris, convenerunt canonici et scabini predicti in hospitali et miserunt ad me canonicum nomine de Freyberg [1]), utrum vellem venire ad eos vel si ipsi deberent venire ad me quia haberent michi aliqua ex parte domini ducis enarrare. Sic ego feci eos venire ad me quia vellem eis dare bonam malvasiam. Et sic venerunt omnes in unum congregati. Et magister Hainricus Seldenhorn tamquam Judas antecedebat eos nisi cum uno famulo et pulsavit ad portam que illico fuit sibi aperta prout moris et antea factum fuit. Sic minavit alios, qui non dum venerant sed steterunt retro cantonem ubi itur ad placzam maiorem sed ad nutum ipsius festine venerunt, primo scabini et post eos canonici; et scabini intraverunt stubam portarii sed canonici iuxta portam permanserunt. Quod cum dictum fuisset michi ego dedi eis obviam et benigne suscepi eos et ipsi michi referebant grates et singuli manus suas porrexerunt. Statim ego misi pro malfasia[d]) et duxi eos mecum supra ad stubam meam et cum ego vellem intrare cameram meam et ipsis portare (fol. 9[1]) triseam[e]) et cum venissem prope ianuam camere, Oswaldus de Wolkenstain dedit michi unum magnum ictum cum pugno trudens me retro dicens: „Stett still, es ist nimmer als vor!“ Ego vero respondi: „Wie tûst also, ich gelaub du seist nit wol bey dir selber“. Et ipse: „Siczt pald nider oder ir mûsst leiden, das ir ungern leidt“. Et ego sedi. Tunc monstraverunt michi unam cedulam in qua fuit scriptum, qualiter capitulum peciit habere literas de me quod tamen fuit satis enorme. Cum hoc eciam dederunt

---

[a]) Cod. [b]) Folgt Wechsel von Tinte und Zug. [c]) Am Rande von späterer Hand nota. [d]) Cod. [e]) Eine Erklärung konnte ich nicht finden. Sinnacher lässt das Wort in der Uebersetzung aus. In den ältesten Rechnungsbüchern der Herren von Schlandersberg, von Ottenthal i. d. Mittheil. d. Instituts f. ö. Geschichtsforschung II 604 findet sich zum Jahre 1401 in einem Absatz, in dem Gewürze und Delikatessen aufgeführt sind, auch trysse. Er ist wol zum französishen dragé, Confect, zu stellen.

[1]) Christian von Freiberg.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

michi unam literam credencialem cum mandato ducis quicquid ipsi a me peterent quod habeo cicius adimplere. Cum autem viderem quod non potuit aliud fieri nisi quod oportuit me facere omnem eorum voluntatem, ego sedi et scripturus eram duas, literam unam canonicis, aliam scabinis nec potui impetrare quod darent michi cibum vel potum nisi prius litere essent manu mea propria confecte et sigillate. Interim cum sic scriberem scabini exierunt de castro festinanter et invenerunt quendam nobilem virum nomine Johannes de Annemberg quem invaserunt et laqueo[a]) suspenderunt et cum impetu revertentes receperunt omnes claves domus et prepositus frivole recepit michi claves camere mee et cum uno laqueo propriis manibus ianuam posteriorem obstruit ponendo vectes ferreos et ligneos. Omni vero nocte custodiebant me canonici et scabini in armis et cum longis gladiis, similiter et de die a me non recesse- (fol. 10) runt sed semper sine intermissione canonici unacum scabinis et eorum famulis bene armatis me custodierunt. Tercio vero die cogerunt omnes famulos meos quod oportebant eis iurare fidelitatem et michi non plus parere. Similiter cogerunt me, quod oportebam scribere capitaneis castrorum quod visis literis meis venirent ad me omnibus postpositis. Eorum tres videlicet capitaneus Praunekge, capitaneus in Resen[1]) et capitaneus in Sabiona[2]) venerunt et me oportuit eis fidem relaxare et iuraverunt capitulo et quod me ad castra sine eorum literis nunquam plus intromitterent. Ceteri vero capitanei non venerunt. Et sic multis variis tribulacionibus angariaverunt me[b]) novem dies et noctes taliter quod nunquam fui securus de vita, nescio tamen quare, quia in specie nunquam dixerunt michi quid fecerim sed in genere multa mala obiecerunt michi.

Interim hiis sic stantibus dominus dux fuit avisatus, qualiter male fecisset quod talia consensit et sic timore concussus scripsit[c]) canonicis et scabinis, quod me visis presentibus[d]) in persona et habere[e]) liberum relaxarent quod sic factum fuit. Insuper mandavit ipse dux quatenus ex utraque parte in Insprukge coram eo comparere deberemus. Et sic ipsi prevenerunt me ac tamen ego eciam comparui. Dum autem venissem invaluerunt voces eorum contra me volentes

---

a) a verbessert aus q.— b) me über der Zeile nachgetragen.
c) Das p corr. aus b. d) Wechsel des Zuges. e) Im Cod. here.
1) Rasen ö. Bruneck. 2) Säben bei Klausen.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

me omnino opprimere pecierunt itaque, quod deberem cedere episcopatui et darem eis regimen, nec omnino voluerunt quod umquam plus venirem ad Brixinam sed deberem contentare in castro sancti Lamperti [1]) et in IIII[c] ducatis pro una precaria, quod tamen nolui et omnino recusavi (fol. 10[1]). Interim dum sic ageretur venerunt nunccii [a]) de Austria, qui dixerunt domino qualiter rex Romanorum et principes [b]) electores valde irascerentur super domino et hiis qui michi et prefato Annennberger tot et tanta mala contra omnem racionem inferebant. Et sic dominus dux incepit pavere et fecit inter nos unum alium tractatum [2]) qui paulo minus fuit melior priori. Hoc iterum fuit conclusum. In illo vero tractatu inter alia fuit scriptum, quod omnia mea negocia deberem regere secundum consilium trium virorum, quorum primus fuit prepositus [3]), secundus magister Gehardus [c]), tercius vero magister Hainricus Seldenhorn, qui tamen non fuerunt compotes racionis quia unus fuit lunaticus, alter furiosus, tercius autem maxime infidelis, fallax et perfidus. Cum antem ipsi venirent Brixinam et prestolarentur adventum meum et sperabant me venturum, ego omnino nolui ire Brixinam quia timui versucias eorum et mansi in Insprukg.

1430.

Ibi incipit annus XXX.

Postquam antem viderent quod non poterant me allicere ut venirem [d]), venerunt duo canonici, magister Gebhardus et alter canonicus [e]) circa et post festum nativitatis eiusdem anni (1829 Dez. 25) [4]) et requirebant [f]) me ut venirem quia multa essent expedienda et sine me nichil possent facere, vel si vellem manere quod tum darem eis plenam potestatem. Et super illo solicitaverunt dominum ducem dantes michi multa verba obprobriosa et scandalosa. Quibus nil respondi nisi quod dixi eis in facies eorum (fol. 11) quod utique nunquam venirem Brixinam nisi prius rehaberem [g]) literas quas habebant de me quia nollem esse captivus sed omnino liber. Si

---

[a]) Cod. [b]) . rin . . . über der Zeile nachgetragen. [c]) Cod. Gemeint ist der Domherr Gebhard Buelach. [d]) m, wie es scheint corr. aus b. [e]) alter canonicus auf Rasur. [f]) anni et req auf Rasur. [g]) re über der Zeile nachgetragen.

[1]) Schloss Lamprechtsburg bei Bruneck. [2]) Dieser Vertrag wurde 1429 November 20 abgeschlossen. S. Einleitung. S. 261. [3]) Der schon früher genannte Andreas Kobrill. [4]) Das neue Jahr 1430 schon mit Weihnachten 1429 begonnen.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

autem aliquis haberet causam vel aliquos tractatos[a]) coram me, quod ille veniret Insprukam et conduceret secum illos tres prophetas supra nominatos, quia sedem meam posuissem pro nunc ibi et sic in illis verbis permansi et aliud responsum a me non poterant obtinere. Interim dum sic ibi permansissem misit dominus quendam suum heraldum nomine Rudolf ad regem, ut[b]) indagaret factum, qui venit et dixit, si non statim redderet me liberum absque omni pactu et[c]) si non illico redderentur michi omnes litere, nichilominus ponerent me[d]) ad ecclesiam meam, timendum esset valde de magno periculo. Similiter Chůnradus de Freyberg venit et dixit ad huc duriora verba, presertim: „Si wultis vivere tunc ordinate quod episcopus absque omni condicione fiat liber alioquin male succedit vobis". Ex hiis et aliis ammonicionibus dominus dux incidit in magnum timorem locutusque fuit ad me dicens: „Utinam venirent vasalli ecclesie et redimerent te, nos utique vellemus nos interponere quod reddereris maiori libertati quam prius umquam habuisti". Ego vero rogavi pro salvoductu hiis qui venirent, qui michi fuit concessus; et sic venerunt dominus Michel de Wolkhenstain, dominus Bartholomeus de Gufiduno, Chůnradus de Wolkhenstain, Johannes Tichtel, qui semper mecum permansit in omni tribulacione, cives Brixinenses et de Clusa ceterique subditi mei (fol. 11 1[1]) omnes miserunt suos exceptis civibus de Praunekga, qui nemine mvolebant mittere quamvis tota mea spes fuerit super ipsos posita. Ac tamen alias non egerunt fideliter circa me sed obliti de fide et iuramento michi prestito locuti sunt vanitates et dolos, tota die meditabantur contra me cogitaciones eorum in malum; inteligenti[e]) pauca sufficiunt[f]). Cum autem vasalli et subditi ut supra venissent tunc proposuerunt coram domino duce in hec verba: „Illustris princeps et domine generose, percepimus qualiter canonici et scabini dominum nostrum occupaverunt et aliquas literas satis inconsuetas ab eo extorserunt dicentes quod quicquid ut sic fecerint quod hoc de nostro scitu et voluntate factum sit, quod utique veritati maxime repungnat[g]) et quicumque audet dicere quod nullus[h]) nostrorum quicquam sciverit ille facit nobis magnam

---

a) Cod. b) Zuerst scheint q (uod) gestanden zu haben; es wurde gestrichen und ut über die Zeile geschrieben. c) Wechsel des Zuges. d) me über der Zeile nachgetragen. e) Cod. f) intelligenti — sufficiunt scheint nachgetragen. g) Cod. repũgnat. h) Cod. wol sicher verschrieben statt ullus.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

iniuriam. Sed venimus ad graciam vestram petentes obnixe ut dominum nostrum omnino liberum absque omni pactu unacum literis predictis reddatis, quia non scimus, vidimus nec audivimus ab eo nisi bonum nec aliquem contra iusticiam molestavit. Si autem ipsi sciant aliquod dedicus [a]) ab eo, citent ipsum ad curiam Romanam vel ad Salczburgam aut alibi ad reddendum ius; et in casu quo ipse dominus noster episcopus nollet obedire iuri, nos vellemus ipsum manutenere et corartare [b]) donec unusquisque consequeretur ab eo iusticiam. Et si hoc [c]) non possumus consequi utique nos faciemus vindictam de domino nostro eciamsi pueri nostri deberent elemosinam querere«. Et alia quamplura verba dura et honesta fuerunt ibi propalata. Fuerunt eciam ibi (fol. 12) quamplures comites et nobiles viri qui eciam erant scabini. Illi considerantes iniuriam michi illatam interposuerunt se taliter quod omnino fui liberatus et omnes suspecte litere fracte et michi restitute. Fui eciam positus ad possessionem ecclesie mee cum magno honore et intravi civitatem Brixinam cum solempni comitiva et vere divites et pauperes cum nobilibus utriusque sexus gratulabantur de restitucione et reversione mea in pristinum statum. Ac tamen antequam hec omnia concluderentur ego mansi in Insprukga XIII septimanis [1]) et feci ibi magnas expensas sed canonici nichil michi refuderunt. Laus et gloria sit omnipotenti deo viventi in seculorum secula, amen.

Eodem [d]) anno celebravi magna placita cum illis de Weispriach et quodam Schonrat et fecimus arbitrum [e]) in dominum ducem [2]). Sed ipsi nolebant tenere ratum et sic celebratis aliis placitis compromisimus unus alteri reddere ius coram prefato domino duci [f])XIIII. die post pascha [g]). Sed

---

[a]) Cod. [b]) Cod. [c]) Folgt gestrichen quod. [d]) Wechsel von Tinte und Zug. [e]) Cod. [f]) Cod. [g]) Cod.

[1]) Beiläufig von Mitte November 1429 bis Mitte Februar 1430.

[2]) In dieser Sache hatte schon 1429 Mai 9 ein Schiedsgericht in Brixen gesprochen. Nikolaus Schonrat beanspruchte eine Entschädigung, weil er für Bischof Berthold einen Zug nach Enneberg unternommen, sich dadurch mit Bischof Alexander von Trient verfeindet und Schaden erlitten hatte. Seine zwei Vettern Ulrich und Nikolaus Weispriach traten für ihn ein und gerieten so auch in Streit mit Bischof Ulrich. Dieses genannte Schiedsgericht entschied, dass alle gegenseitigen Ansprüche aufgehoben und beide Parteien versöhnt sein sollten. (Fürstbischöfl. Hofarchiv in Brixen.) Damit war aber die Angelegenheit noch nicht erledigt.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

Schonrat refutavit penitus ius et arbitrium; nescitur quod adhuc fiet.

Eodem anno quo supra quidem nobilis nomine Jacobus Trautsun, qui eciam suspendit Johannem Annemberger et magnus emulus meus ivit de Sterczinga volens ire versus Bolzanum et in loco ubi dicitur auf dem Schêbs [1]) versus Clusam [a]) obviavit sibi dominus Michel de Wolkhenstain et invaserunt se mutuo quia erant inimici. Ibi feria 3. post Letare (März 28, fol. 1*2 [1]) prefatus Jacobus Trautsun per dominum Michaelem de Wolkenstain [b]) est interfectus et duo famuli male vulnerati sed dominus Michael et sui [c]) non sunt nocive lesi.

Eodem anno habui solempne carnisprivium (Febr. 28).

Eodem anno feci tabulare id est tefeln palacium extra portam interiorem.

Eodem anno feci fieri stubam que nunc est cancellaria.

Eodem anno in quadragesima in vigilia anunciacionis Marie (März 24) venit domina ducissa cum domino duce Sigismundo filio eius et fuit mecum [d]) in castro usque ad tercium diem in magnis expensis; sed voluntarie feci quia eam valde diligo propter graciam et benivolenciam [e]) michi semper exhibitam.

Eodem anno post festum Epiphanie [2]) ivi in Stams et consecravi unam cappellam in capitulo ibidem et reconciliavi ecclesiam sancti Johannis cum cimiterio [f]). Reconciliavi eciam cappellam Mûlseriorum [3]), capitulum et ambitum cum aliquibus effigeis [g]) et ordinavi ibidem presbyteros [h]).

Eodem anno in quadragesima (März 1 bis April 15) obiit dominus Johannes de Goricia [4]), qui fuit meus singularis amicus.

---

[a]) Versus Clusam am Rande nachgetragen und mit Verweisungszeichen hieher bezogen. [b]) de Wolkenstain am Rande nachgetragen. [c]) et sui über der Zeile nachgetragen. [d]) Folgt gestrichen v. [e]) Cod. [f]) Cod. [g]) Cod. [h]) et — presbyteros scheint nachgetragen.

[1]) Schabs bei Brixen. [2]) Also noch während seines Aufenthaltes in Innsbruck; nach Ch. W. Putsch, Res Tirol. M. S. in der Innsbrucker Universitäts-Bibliothek I. Fol. 175 wäre Bischof Ulrich schon 1429 Dezember 18 in Stams gewesen, um das vom Abte Johannes errichtete Capitel und einen Altar einzuweihen. [3]) 1268 als Begräbnisstätte für sein Geschlecht erbaut von Ruprecht Mülser, dem Grossvater Oswald Mülsers, Pflegers in Seefeld. Tinkhauser-Rapp III. 93. [4]) Johann Meinhard, ein Bruder des regierenden Grafen Heinrich von Görz.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

Eodem[a]) anno in quadragesima feci fieri vas plumbeum de VI centenariis pro reservatorio olei, quod stat in celari[b]).

Eodem[c]) anno feci pavimentare civitatem Praunekgam. (Fol. 13). Eodem[d]) anno dum sentirem aliqualem esse rancorem inter dominum F(ridericum) ducem Austrie et episcopum Tridentinum[e])[1]) ivi proprio motu ad Bolzanum ubi terrigene fuerunt congregati et de consilio eorum et[f]) prece ivi in iulio magnis tunc caloribus existentibus ad Tridentum propriis expensis et practicavi, ut ipse veniret Brixinam ubi omnes nobiles et communes tocius patrie congregarentur. Ibi vellemus nos interponere ut possemus eos simul concordare et amicabiliter componere, quod ipse promisit sed non venit. Venit autem dux et multi de provincia. Nil tamen ibidem factum est nisi quod alia placita sunt assignata[2]).

Ibidem coram duce et terrigenis comparui in iudicio adversus illos de Weispriach[3]), quos devici et cum honore contra eos prevalui.

Habui tamen in illis placitis magnas expensas quia dux fuit mecum in domo et omnis homo mecum comedit et bibit.

Eodem anno misi ad regem Christoferum Stempflin in causa, que vertebatur inter me et dictum Schonrat, qui me literis regalibus citavit ad regem absque causa et racione.

---

[a]) Wechsel von Tinte und Zug. [b]) Cod. [c]) Wechsel des Zuges. [d]) Wechsel von Tinte und Zug. [e]) et — Tridentinum über der Zeile nachgetragen. [f]) Folgt gestrichen prece.

[1]) Bischof Alexander, welcher einerseits seine Abhängigkeit vom Landesfürsten zu lockern, andererseits seinen Stiftsvasallen gegenüber seine Rechte zur vollen Geltung zu bringen suchte, geriet bald in Streit mit den Herren von Spaur und Lodron; er wandte sich an Herzog Friedrich um Hilfe, der aber diese nicht gewährte, sondern zuerst vermitteln wollte, bald jedoch sich offen auf die Seite Lodrons stellte. Alexander wandte sich an den König Sigmund und dasselbe that Friedrich, der 1431 Sept. 28 Gesandte nach Feldkirch schickte, wo Sigmund auf seiner Romfahrt eben weilte. Dieser vermittelte einen Waffenstillstand und verschob die Entscheidung bis zu seiner Rückkehr aus Rom, 1431 Okt. 9. Innsbr. Statth.-Arch. Trientner A. XXIV, t, deutsche Abth.; Egger, Geschichte von Tirol I. 520 f; Ferdinandeum Dipauliana 616, fol. 88. [2]) S. fol. 25 des Tagebuches. [3]) Hier in Brixen setzte Herzog Friedrich 1430 Juli 10 einen Rechtstag im Streite Ulrichs und des Capitels gegen Schonrat. (Fürstbischöfl. Hofarch. in Brixen in einem Transumpt Ulrichs von Neustift von 1430 Juli 27); letzteres Datum zeigt auch ein in Klausen in dieser Angelegenheit ausgestellter Kundschaftsbrief. (Fürstbischöfl. Hofarch. in Brixen.)

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

(Fol. 13[1]). Eodem[a]) anno iterum ivi personaliter ad dominum F(ridericum) ducem in Meranum ubi eciam fuit dux Wilhelmus de Brunswig [1]) et mansi ibi in servicio ducis ad unum mensem [2]).

Eodem anno construxi turrim ubi est fabrica cum tribus transitis ad pallacium, ad cameram coci et ad cameram supra fabricam.

Eodem anno ivi Sterczingam et conduxi mecum multos nobiles et concordavi [3]) dominum Michaelem de Wolkenstain cum Sygismundo et Victori dominis Trautsun super homicidio Jacobi Trautsun, qui per dominum Michaelem fuit interfectus.

Eodem anno in estate fuit tantus fervor caloris qui prius a tunc viventibus non fuit visus et perierunt omnes fructus terre et specialiter vinum fuit[b]) paucum.

Eodem[c]) anno [4]) ivi iterum ad Meranum et de mandato regis citavi dominum ducem.

Eodem anno circa Galli (Okt. 16) feci fieri pavimentum super pallacio novo prope portam.

Anno eodem recuperavi ciphum argenteum magnis cum armis episcopi Curiensis, qui fuit ecclerie alienatus post mortem domini Berchtoldi antecessoris mei.

Eodem anno eciam recepi in solucione debitorum a domino Berchtoldo de Nêtz ciphum argenteum cum pustulis, qui antea fuit domini Nicolai prepositi.

Eodem anno ante Galli fuerunt mecum dominus Wilhelmus dux Brunswigensis et domina Anna ducissa Austrie

---

a) Wechsel von Tinte und Zug. b) Folgt gestrichen pau. c) Wechsel der Tinte.

[1]) Ein Verwandter der Herzogin Anna von Braunschweig, Friedrichs zweiter Gemahlin. [2]) Herzog Friedrich urkundet in diesem Jahre in Meran am 3. September, 2. und 6. Oktober. S. Lichnowsky V. Reg. Nr. 2893—2895, 2902 und 2903. [3]) Die Versöhnung geschah 1430 Sept. 17, S. Sinnacher VI. 125 und 208, wo die Urkunde abgedruckt ist. Die Vettern des Getödteten hatten sich an das Fehmgericht gewandt, was dem Herzog sehr unlieb war, wesshalb er dem Bischof Ulrich befahl, den Handel zu schlichten. S. Ladurner, das Hereinragen des Fehmgerichtes in Tirol im Arch. f. Gesch. und Alterthumk. Tirols, V. 201 ff. [4]) Wann ist unbestimmbar. König Sigmund hatte schon 1430 Jänner 1 den Herzog Friedrich nach Nürnberg geladen, damit er sich wegen der Hft. Heiligenberg verantworte und diesen Ladebrief übergab der Abt Wilhelm zu Wilzberg dem Herzog in Innsbruck am 16. Jänner d. J. S. Lichnowsky 2833, 2843.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

consanguinea sua cum magna gente et ego solvi pro eis expensas cum aliquibus propinis.

(Fol. 14). Eodem anno circa Galli misi Ottonem Mûlich sororium[a]) meum ad dominum regem in Nurembergam.

Eodem anno feria 3. post Galli (Okt. 17) misi dominum Michaelem cappellanum meum ad curiam Romanam cum C ducatis.

Eodem[b]) anno recepi in debitis meis duos libros horarum a domino Berchtoldo de Nêtz, partem estivalem, qui[c]) est magnus liber et partem yemalem minorem eciam unum psalterium ac eciam unum parvum librum horarum pro XX marcis, quia domus fuit omnibus libris spoliata et nullum inveni.

Eodem anno in die Galli emi unum valde pulchrum iocale videlicet ain guldin pecher pro L ducatis.

Eodem anno dominica post Leonhardi (Nov. 12) consecravi ecclesiam sancti Leonhardi in monte sancti Leonhardi [1]).

Eodem anno comparavi alia duo iocalia in forma florum argentea et deaurata.

Eodem anno propinavit michi dominus dux Mediolanensis [2]) unam peciam panni serici damascini cramesini[d]), que constabat C et XXXII ducatos, quia misi sibi VIII accipitres et duos nisos.

Eodem anno sabato 4^{or} temporum[e]) ante nativitatem domini (Dez. 23) ordinavi presbyteros sicut alias omni angaria preterita feci, et ipse ordines celebravi preterquam eis temporibus quibus captivus fui per canonicos[f]).

Eodem anno iterum misi Ottonem Mulich ad regem Romanorum.

1431.

(Fol. 15). Anno[g]) domini Mxxx primo.

Eodem anno misi ambaziatam meam videlicet Johannem Gerhard, Christoferum Stêmpflin et Chunradum officialem et notarium meum ad dominum Salczburgensem in facto illorum

---

[a]) Cod. sor; über das Verwandtschaftsverhälsnis s. die Einleitung. S. 232 Anm. 4 [b]) Wechsel der Tinte. [c]) Cod. [d]) s corr. aus n. [e]) Folgt gestrichen ordinavi. [f]) Es folgt eine durchstricheneZeile: Eodem anno consecravi ecclesiam sancti Leonhardi in monte, was er bereits erzählt. [g]) Wechsel von Tinte und Zug.

[1]) Oe. Brixen. S. Tinkhauser-Rapp I. 257; die Kirche war erweitert und erneuert worden. [2]) Philipp Maria Visconti 1412—1447.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

de Weispriach. Et exierunt a Brixina in die sancti Johannis exangeliste (1430 Dez. 27) [1]).

Eodem [a]) anno celebravi iterum placita cum comite de Goricia in Praunekga super facto feoooorum; et ipse nonvenit [2]).

Eodem [b]) misi iterum Ottonem Mûlich ad regem Romanorum [3]).

Eodem [c]) anno procuravi, quod malvasia Rumania et rabolium [d]) in Brixina propinantur, quod nullus antecessorum meorum nunquam potuit procurare.

Eodem anno fuerunt hic in Brixina domina ducissa et dux Brunswige et solvi pro eis expensas.

Eodem anno iterum venit dux Brunswige.

Eodem anno iterum venerunt huc dux Brunswige et iunior dux Fr(idericus) Austrie in factis episcopi Tridentini.

Eodem tempore eciam supervenit dux Fr(idericus) Austrie senior. Et ivit ad Bolzanum ad placitandum cum episcopo Tridentino sed non poterant se concordare. Et in reversione iterum venerunt huc omnes et sic habui cum eis infinitas expensas [4]).

Eodem anno concordatus fui cum illis de Weispriach et optinui contra eos honorem et victoriam.

(Fol. 15 [1]). Eodem [e]) anno celebravi placita de mandato domini Fr(iderici) ducis Austrie cum pleno mandato ipsius cum omnibus terrigenis nobilibus et ignobilibus civitatum et opidorum super adiutorio contra invasores terre [5]), ubi benivolum [f]) responsum reportavi et fui bene tractatus ab omnibus. Ibique indixerunt michi adiutorium et assistenciam contra comitem Goricie quia ipsos desuper requisivi.

---

[a]) Wechsel von Tinte und Zug. [b]) Cod. [c]) Am Rande steht von späterer Hand nota. [d]) Cod. Ich konnte eine Erklärung nicht finden. Sinnacher VI. 128 übersetzt Rosoglio. [e]) Wechsel der Tinte. [f]) Cod.

[1]) Das neue Jahr 1431 also mit Weihnachten 1430 begonnen. [2]) Heinrich von Görz stellte den Lehensrevers erst aus 1433 Dez. 21; die Lehen sind aber nicht aufgezählt. Brixner U. im Statth.-Arch. in Innsbruck Nr. 1381 und Sinnacher VI. 146. [3]) Vielleicht nach Nürnberg, wo über den Kampf gegen die Hussiten verhandelt wurde, an dem Theil zu nehmen Papst Martin V. auch den Herzog Friedrich 1431 Jänner 9 aufgefordert hatte. Lichnowsky V. 2928. [4]) Herzog Friedrich urkundet 1431 März 7 in Brixen, März 9, 19, 20 und 21 in Bozen, März 24 in Gries bei Bozen und ist anfangs April wieder in Innsbruck. Lichowsky V. Die Regesten d. J. [5]) Die Hussiten. Sinnacher VI. 129 erzählt, Ulrich habe 1431 Juni 10 den Pfarrern befohlen, das Volk zum Kreuzzuge gegen die Hussiten aufzufordern.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

Illo tempore misi dominum Michaelem cappellanum meum ad regem Romanorum pro literis regalibus ad citandum comitem Goricie. Et sic ad preces omnium terrigenarum ivi ad dominum ducem [1]) ad dicendum sibi mentem eorum et ad constituendum capitaneum generalem etc. Eodem [a]) anno feci fieri XXX^{M} telarum id est pfeil.

Eodem [b]) anno composui oraciones super missam.

Eodem [c]) anno requisitus et rogatus ivi ad dominum ducem cum bona comitiva nobilium.

Eodem anno bina vice misi ambaziatam ad comitem Goricie.

Eodem anno iterum feci ambaziatam bina vice ad comitem.

Eodem anno iterum ivi ad ducem et mansi ibi ad XIIII dies.

Eodem anno de requisicione ducis fortificavi et construxi omnes passus [2]), clusas, civitates et castra contra Ungaros et alios inimicos volentes inundare terram.

Eodem anno destinavi domino Mediolanensi XII accipitres et tres nisos.

(Fol. 16). Eodem [d]) anno comparavi pompardas numero quasi centum.

Eodem anno incepi fodere aurifodinam in Reyschach [3]) et nichil inveni.

Eodem anno feci fieri turrem prope preposituram inangulo.

Eodem anno fuit magna pestis in Brixina et ego fugi in Praunekgam et permansi ibi ad tres menses cum magnis expensis stipendiorum et aliorum vasallorum etc.

Eodem [e]) anno feria quarta que fuit vigilia omnium sanctorum (Okt. 31) misi ambaziatores meos ad Salczburgam in factis ecclesie et fidei katholice.

---

[a]) Wechsel der Tinte. [b]) Eodem — missam wieder dieselbe Tinte wie seit Anfang von Fol. 15[1]. [c]) Wechsel von Tinte und Zug; wie in Anmerkung [a]). [d]) Wechsel von Tinte und Zug. [e]) Wechsel von Tinte und Zug.

[1]) In Innsbruck war Ulrich im August, wo er 1431 August 4 an die Pfarrer in Matrei, Stubai, Axams. Ampas, Thaur, Hall, Absam, Mils, Fügen und Münster Befehl ergehen lässt, die alten Kreuzgänge nach Georgenberg einzuhalten. S. Chronik der Benediktiner-Abtei St. Georgenberg (Innsbruck 1874) S. 298. Urkunde Nr. 104. [2]) 1431 August 14 hatte die Niederlage des Kreuzheeres bei Taus stattgefunden und aus Furcht vor den Taboriten, die wol mit Ungaros gemeint sind, besetzte man auch in Tirol alle Pässe. S. Lampel, H. Friedrichs Politik gegen Frankreich und Böhmen, Ferdinandeums-Zeitschr. Innsbruck 1885, III. 29. [3]) Südl. Bruneck.

© Tiroler Landesmuseum Ferdinandeum, Innsbruck download unter www.biologiezentrum.at

Eodem [a]) anno feria secunda que fuit dies Elizabeth vidue (Nov. 19) misit michi magister Hainricus [1]) prefatus traditor, assisinus et latro [b]) cum suis complicibus, ribaldis et nequam literas diffidatorias satis enormes cum multis mendaciis et scandalosis verbis. Sed dominica precedenti (Nov. 18) misit octo illorum suorum complicium, qui posuerunt insidias prope castrum Andracii [2]) volentes illud furari. Sancti [c]) autem patroni ecclesie et precipue [d]) deus et fideles homines vallis Livinalis longi [3]) hoc intervenerunt; et dicti fures et latrones per homines dicte vallis sunt detenti [e]) numero septem, octavus vero interfectus, qui mortuus unacum aliis septem ad furcas sunt suspensi, excepto uno qui in quatuor partes est divisus et partes prout moris est sunt patibulo appense. Magistrum vero Hainricum procuravi in valle Cadobrii in Pleif [4]) mancipare et spero quod michi presentetur ad recipiendam suam mercedem.

Item Veneti [5]) noluerunt michi eum presentare [f]).

1432.

(Fol. 16 [1]). Anno XXXII [g]).

